

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.
 CAROLVM FRANCISCVM
 AIROLDVM
 ANTISTITEM EDESSENSEM,
 AC NVNCIVM APOSTOLICVM
 Apud
 MAGNVM ETRVRIÆ DVCEM.

CARMEN LYRICVM

IOANNIS PETRI RVBINI.

BIBLIOTECA NAZ.
 ROMA
 VITTORIO EMANUELE.



AD BEATISSIMAM MARIAM VIRGINEM

CAROLI M. FRANCISCI

ALCOHOLI

UNIVERSITATIS EDIENSIS

AC IN REGIA UNIVERSITATE

1698

IN REGIA UNIVERSITATE

CAROLI M. FRANCISCI

UNIVERSITATIS EDIENSIS



IN REGIA UNIVERSITATE
AC IN REGIA UNIVERSITATE
1698

ILLVSTRISS. ^{MB} ac REVERENDISS. ^{MB}

PRÆSVL:



*Q*uod erat optandum maxime, ut è Belgio armorum Theatro in Italia tua finum recipereris, id & tibi, nobisque datum non humano consilio, sed prope divinitus videtur; Frustra enim bellorum periculis adfuisse non fuerit: nam, quemadmodum Maris, Calique temperiem turbines, tempestatesque commendant, ita ad suavissimum quietis fructum arma maxime faciunt. Sed ad quem quietis tuae fructum, si indefessa animi tui vis nusquam nisi in laboribus, ac rerum agendarum mole quiescit? Ardua, quam tanta animi alacritate ante susceperas, provincia non dubie probat; nam, cum in difficillimis Belgij rebus pro Christiana Reipublica salute insudares, tuae salutis ignarus nihil intentatum reliquisti, quod publicis commodis non dares, tuis non eriperes. Quiescet

Verò nunc animus, cum te ex frigidi Cæli inclementiâ
 CLEMENTISSIMVS Pater reuocarit, ac Apostolicâ
 dignitate conspicuum in amenissimam Etruria Prouinciâ
 delegarit? Non quiescet profectò inter flores, sed ad
 proximum gloriæ apicem velociori mōx impetu irrumpet.
 Cum igitur reliētis niuibus, ac palmis ad oleas, flo-
 resque Deo benè iuuante gradum feceris, non nihil spei
 concipio fora, ut à Tubarum strepitu ad imbelles ci-
 tharæ modulos conuerti faciliè patiaris, quæ, nisi concep-
 tum de tuo toties expetito reditu gaudium expressis, sat-
 tem, ut animum tui studiosissimum intelligeres, omnes
 nervos intendit. Humanitatis tamèn tuæ rationem esse
 habendam putauit, si non Dignitatis, quam, si non prò me-
 ritis, saltem prò eo ac possum venerari non erubui.
 Benè ac feliciter Vale.

Lucæ die 15. Decembris 1673.

Hum.^{mo}, tibi que Addit.^{mo}

Ioannes Petrus Rubinus.

ODE.



B otiosis surgite riuulis,
 Flores, Sorores, iungite floribus,
 Palmas, triumphales & arcus
 Tollite, congeminate plausus.

Excurre lymphis liberioribus
 Ab vngue nascens fons Aganippidis,
 Immitte fluctus murmurantes
 Gurgitibus per acuta Cyrrhæ.

Adhuc quid hæres ancipiti lyra
 Deuota Clio? Gaudia, vel metus
 Formidolosi cum iucundà
 Te tibi subripuere mente?

Prægestientem ducere fluctibus
 Lætis choreas non Tiberim vides,
 Et conscium non cernis Arnum
 Fronte suas superare ripas?

En surge, sternas alipedem tibi;
 Notum lacertis addere barbiton
 Iuuabit; est mutanda sedes,
 Pegaseæ tibi dentur alæ.

Non te requirunt Abdua, nec vagus
 Ticinus vndis, non cupit Albula;
 Ambo reuiferunt Alumnum,
 Ambo suam coluere prolem.

Viciniorem iam cupidum tibi
 Det, Mula, Metam flumen Etruriæ,
 Ibi nouum vt Phœbum, meumque
 Excipias resonante buxo.

I, quære summo nomine Præsulem,
 Qui glorioso puluere sordidus,
 Sacris coronatus tropheis
 Iam meritis ouat in quadrigis .

Oris docebit te grauitas Virum;
 Sed frons, memento, quæ sit Apollini,
 Ut promptius noscas; utrique
 Est eadem geminata forma.

Salue reperto dixeris, & sibi
 Nobisque uiuat dixeris; effedi
 Sedem triumphalis sequuta
 Gesta canes referenda in Astris .

Nam præliantes impavidus stetit
 Inter phalanges (id Mosa dixerit,
 Scaldisque) dum Caduceator
 Sydereus fuit inter hostes .

Gessisse forti munera pectore
 Exprome, fidis atquè rebellium
 Inter Batauorum ruinas
 Quod fuerit Cynosura Belgis.

Is cùm finè armis arma remouerit;
 Non esse Regnum, consilio magis
 Seruarit intactum procellis
 Mercurius minitante Marte.

Frænauit agger sedibus in suis
 Nouo furentes turbine Sequanam,
 Tagumque; commixtus nè vterque
 Irrueret, stetit inter ambos.

Forsàn quietis gurgitibus pares
 Adhuc manerent, atquè rubentibus
 Spumis frementes haud valerent
 Per timidas fluitare glebas.

Adhuc sub umbrâ Flandria Præfulis
 Si stare posset; Fataque bellicis
 Nisi vocassent, ut colendo
 Pacificas beet ille Terras.

Summo Deorum consilio fuit,
 AIROLDE, longo te loca linquere
 Subiecta ferro, nec propinquum
 Sanguineum voluisse Rhenum.

Datura Martis non tibi adorem
 Sunt arma, fabri telaque Lemnij;
 Est sola pugnatura virtus,
 Est animi tibi splendor ensis.

Hæc Musa nouit; noueris altiùs,
 Cùm tu superbis curribus insidens
 Pæana sacrum gestientes
 Audieris tibi ferre Ciues.

Iàm Flora plaudit cōscia gloriæ,
 Quæ nunc paratur, teque superbiens
 Diuæ decoro gloriatur
 Belligeræ rapuisse furto.

Intexta lauris, pictaque floribus
 Iàm ferta fronti luxuriant tuæ,
 Iussæque Nympharum cateruæ
 Germinibus spoliare glebas.

Vt Flora votis sufficiat suis,
 Tuisque, vellet, quæ dedit ante dæ,
 Mutare dignis dona donis,
 Teque nouo redimire flore.

Heros, sacrat in violis nites
 Iàm Præsul, instat purpureis Dea
 Ornare fertis, quas mereris
 Teque rosis decorare flagrat.

Tyrrhenus Atlas, perge, eris ORBIBVS;
 Et quod probarunt fata, ferent Dij;
 Enauigamus sub CLEMENTI
 SYDERE, proximus estque portus.

Sperare sic fas; auguror, auguror
 Quæ Flora spondet, Romaque; quæ tua
 Virtus meretur, persecundis
 Ostra tibi veniant ab ASTRIS.



11
 Typographia A. de ...
 ...
 ...
 ...
 ...

...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

